



M. ANTONII
SABELLICI,
RERUM VENETARUM
AB URBE CONDITA,
DECADIS PRIMÆ,

L I B E R II.



Nno quinto militaris Magisterii nondum acto, quum miro Duci desiderio teneretur civitas, appareretque sine eo magistratu Rem publicam esse non posse, continuo omnibus suffragiis Theodatus Ursi filius Medoacensi conventu Dux declaratus est. Is cum Aistulpho Longobardorum Rege egit, ut Heracliani fines eisdem spaciis Veneto nomini constarent, quibus ante ad Plavem fluvium fuerant promoti. Est præterea portus tria millia passuum recta navigatione a Fossa Clodia distans: circa hujus fauces castellum fuit opere magis quam natura

742
*Ducaria administratio reducatur.
Theodatus Hipatus Dux.*